



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Iubilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Pars Prima. De Iubilæo Ecclesiastico in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093



ENCHIRIDION

THEOLOGOPRACTI-
CUM.

TRIPARTITUM,

DE IUBILÆO ECCLESIASTICO

PARS PRIMA,

De Iubileo Ecclesiastico in genere.

SECTIO PRIMA.

DE NOMINE, NATURA, DIVISIONE,
ORIGINE, ET AUTHORE JUBILÆI.



QUAESTIO I. Unde dicatur
Jubileum?

RESP. Hoc nomen Ju-
bileum, seu per e simplex,
Jubileum, aut Jubileus, non
à voce latinâ Jubilus, seu Jubilum, de-
riva-

A

riva-

2 Pars I. De Jubilao in genere.

rivatur, ut voluit nonnemo, quem refellit Navarrus De Jobeleo & Indulgentiis Notabili primo; sed à voce hebraea *Jobel*, quæ secundum aliquos quinquagenarium significat, secundum alios sonitum buccinæ, quo indicebatur Jubileus seu Annus quinquagesimus, Hebraeis celeberrimus, ut constat ex cap. 25. & 27. Levit. & cap. ultimo Numer. secundum alios ab Hebræo *Jubal*, seu (ut habet Bellarminus l. 1. de Indulgentiis cap. 1.) *Jabal*, quod significat germinare & producere, unde est nomen *Jebul*, quo fruges, & fructus omnes significari solent.

Anno siquidem illo quinquagesimo, terra non colebatur, sed vescebantur Judæi iis, quæ partim ex superioribus annis servaverant, partim quæ terra illo anno sponte & sine culturâ proferebat: Restituebantur etiam antiquis Dominis suæ possessiones, domus, agri, vineæ, &c. quas per hypothecam, venditionem, &c. à se alienaverant: item mancipia redibant

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilæi. 3

bant in pristinam libertatem, & quidem sine pretio; unde & *Remissio*, seu *Annus remissionis* ex præcepto Domini, vocabatur.

Quamvis autem *Jubilæus* à voce illâ *Jobel* dictus sit, malintque idè aliqui *Jobelæum*, vel *Jobilæum*, quam *Jubilæum* dicere; nos tamen, inquit Bellarminus, sanctum Hieronymum sequimur, Virum doctissimum, & ab ipsâ Ecclesiâ approbatum, qui vocem *Jobel*, perpetuò *Jubilæum* reddidit.

Collige, *Jubilæum* Hebræorum fuisse typum & figuram Evangelii, per quod homines remissionem peccatorum, liberationem à servitute diaboli, possessionem Patriæ Cælestis, fructus bonorum operum, aliaque innumera beneficia per Christum acquirunt: fuisse etiam figuram *Jubilæi Christiani*, quo obtinetur plena remissio debitorum spiritualium, seu poenarum peccatis contractarum, libertas Filiorum Dei recuperatur, insignes poenitentiz aliarumque virtutum fructus colliguntur.

A. 2

Q. 2.

4 P. 1. De Jubilæo in genere.

Q. 2. Quid sit Jubilæum Christianum?
Ubi pluscula de Indulgentiarum The-
sauro.

R. Jubilæum, juxta usitatam & ad-
æquatam significationem, est Indul-
gentia plenaria à Summo Pontifice
concessa visitantibus certas Ecclesias,
ac alia certa opera facientibus, cum
facultatibus circa absolutionem à
quibusvis criminibus & censuris et-
iam Sedi Apostolicæ reservatis, &
commutationem in votis.

Hinc apparet differentia inter Ju-
bilæum simpliciter dictum, & sim-
plicem Indulgentiam plenariam, ut
Communions generalis, quinque
Sanctorum, &c. Hæc enim non habet
adjunctas facultates modò relatas,
quas habet Jubilæum: unde similis
Indulgentia non est dicenda simplici-
ter Jubilæum.

Propterea sapienter monent Sua-
rez To. 4. in 3. p. disp. 50. Sect. 4. n. 8. &
alii, ut, qui Indulgentias promul-
gant, ne simplicem Indulgentiam ple-
nariam nomine Jubilæi pronuntient;
ne

S. 1. De nom. naturâ, &c. Jubilæi. S.
ne fortè auditores falsò existiment,
plus dari quàm ipsam Indulgentiam:
idque etiamsi in Indulto illius Indul-
gentiæ, habeatur *instar Jubilæi*, seu, in
formâ Jubilæi, uti habetur in concessio-
ne Indulgentiæ plenariæ factâ à Gre-
gorio XIII. devotè visitantibus Ec-
clesiam Societatis JESU die Cir-
cumcisionis, vel alio per Præpositum
Generalem, aut Superiorem loci visi-
tandi, semel pro semper nominando.

Quare sapientissimus Pater Ever-
ardus Mercurianus, quartus Societa-
tis Generalis, illam Indulgentiam, à
Gregorio XIII. anno 1578. concessam
in forma Jubilæi, sequenti mox anno,
Societati publicavit, utendo solâ vo-
ce *Indulgentiæ plenariæ*.

Adjectio ergo ista, *ad instar Jubilæi*,
subnexa Indulgentiæ plenariæ, est re-
petitio quædam ad majorem explicationem
& commendationem Indulgentiæ, non ve-
rò nova concessio; ait Suarez. To. 5. in 3. p.
diss. 7. Sect. 5. n. 2.

Porro Indulgentia (ut hîc sumit-
tur) est remissio pœnæ temporalis

A 3,

debi-

6 P. I. De Jubilao in genere.

debitæ peccatis actualibus quoad culpam remissis, facta extra Sacramentum ab habente potestatem, per applicationem satisfactionum Christi, Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

Esse autem in Ecclesiâ potestatem concedendi Indulgentias, est de Fide, definitum tum alibi, tum in Concilio Tridentino *Sess. 25. Decreto de Indulgentiis*. Constat etiam de usu ejus potestatis antiquissimo Summorum Pontificum: de quo videri possunt Card. Bellarminus *Oper. to. 3. l. 1. de Indulgentiis cap. 3.* Henriquez *l. 7. c. 3.* Suarez *to. 4. in 3. p. disp. 49. Sect. 2.*

Pro pleniori notione Thesauri illius, annotanda sunt quedam, de quibus fusiùs Theologi Scholastici & Controversistæ.

I. Homo peccando incurrit duplicem reatum; alterum culpæ, seu, offensæ, alterum poenæ debitæ ad vindicandam injuriam Deo irrogatam: & quidem peccato mortali, reatum poenæ æternæ; veniali, reatum poenæ temporalis.

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilei. 7

II. Remissâ culpâ, non semper remittitur tota pœna. Hanc veritatem, contra hæreticos, exponit Tridentinum Sess. 6. cap. 14. & can. 30. & Sess. 14. cap. 8. sic loquitur: Sancta Synodus declarat, falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condoneretur: perspicua enim & illustra in sacris Litteris exempla reperiuntur, in quibus, præter Divinam traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur. Et can. 12. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpâ remitti semper à Deo; anathema sit. Et rursus Can. 15. Si quis dixerit, fictionem esse, quòd, virtute Clavium, sublatâ pœnâ aeternâ, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit.

III. Igitur aliquando contingit, ut, remissâ culpâ, remittatur simul & tota pœna; prout fit per Martyrium; & in Baptismo, Trident. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14. cap. 2. atque etiam interdum in Sacramento Pœnitentiæ, vel extra illud, quando contritio, vel

dispositio tanta est, ut delere possit totum pœnæ reatum. Plerumque tamen remanet reatus pœnæ temporalis exolvenda vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna Cœlorum aditus patere possit. Trident. Sess. 6. Can. 30. Remanet, inquam, pœna tanta vel tanta, in quantam voluit Deus fieri pœnæ alioqui per peccatum contractæ commutationem. Vide Card. de Lugo, De Pœnitentiâ disp. 24. n. 4. Pro istâ autem pœnâ potest homo per opera bona satisfacere, vel per Indulgentias, aut suffragia, vel aliter se liberare.

IV. Non ergo per Indulgentias ulla etiam venialis culpa remittitur, ut est communis Theologorum sententia, apud Suarez to. 4. in 3. p. disp. 50. Sect. 1. & satis certa, inquit Coninck, de Satisfactione n. 14. sed supponitur remissa per Confessionem, quæ injungitur, aut per aliud medium culpæ remissivum. Et ita intelligendum est, si quando dicatur, concedi absolutionem à culpâ & pœnâ: ita scilicet

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilæi. 9

licet, ut, qui eam Indulgentiam lucratus fuerit, maneat omninò absolutus à culpâ & à pœnâ. Similiter, cum dicunt Pontifices, se per Indulgentias absolvere Pœnitentes à peccatis; vel, condonare omnia peccata, aut dimidiam, vel tertiam partem peccatorum; semper loquuntur de peccatis quoad pœnam (peccatum quippe interdum pro pœnâ peccati sumitur) non quoad culpam: quæ ante Indulgentiam remissa esse creditur. Non enim remittitur pœna, nisi remissa sit culpa. Bellarminus, *De Indulg. l. i. c. 7.* Suarez *Sect. illi. n. 14.* Joan. Præpositus *n. 40. & seq.*

V. Hominis justi viatoris omnia bona opera libera supernaturalia, sunt meritoria apud Deum; juxta id quod ex sacris Litteris definitum est à Trident. *Sess. 6. c. 16. & Can. 32.* sic loquente: *Si quis dixerit, ipsum (hominem) justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JESU CHRISTI meritum, cujus vivum mem-*

A S

1476

tum gratiæ, vitam eternam, & ipsius vite eterno, si tamen in gratiâ decesserit; consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

VI. Ejusmodi autem opera omnia defacto sunt simul satisfactoria. Suarez cum aliis *disp.* 37. *sect.* 6. *n.* 2. *Sæv.* *Satisfactio* n. 15. Card. Toletus *l.* 6. *c.* 27. *n.* 4. Coninck *de Satisfactione* n. 29. & *seqq.* Sylvius *q.* 15. *art.* 1. Lugo *de Pœnit. disp.* 24. *n.* 41. &c. Atque hoc videtur indicasse Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 14. dicens, in Christiani hominis pœnitentiâ contineri *Satisfactionem* per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vita exercitia. Et *Sess.* 14. *Canone* 13. ubi opera satisfactoria vocat pœnas, & statim addit, etiam satisfieri jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus. Quibus verbis omnia opera bona comprehendere videtur; quasi omnia apta sint ad satisfaciendum, prout reverè apta sunt.

Et verò, sicut peccato honor & auctoritas Dei violatur: ita, petitione

ve-

S. I. De nom. naturā, &c. Jubilaei. IL

venia, submissione propriae voluntatis, humilitate, aliave honoris exhibitione, injuria illa reparatur; ut cum Bellarmino, Suarez, & aliis, notat Castropalao *tr. 23. pu. 21. §. 1. n. 1.* Quilibet autem virtutis actus includit saltem submissionem, & Dei honorationem, atque adeo satisfactorius est; cum etiam secundum se aliquo modo poenalis sit, & corpori ac sensui repugnans. Unde, licet quis in actu virtutis sive interno, sive externo, exercendo, facilitatem maximam, & dulcedinem, nullamque omnino poenam sentiat, propter voluntatis promptitudinem & fervorem; non minuitur satisfactio, imò augetur, sicut augetur & meritum. Castropalao *n. 9. Fagundez De 2. Eccles. prac. l. 9. c. 2. n. 5. & 12.* cum Cajetano, Navarro, Suarez, & aliis communiter.

Sanè etiam satis conformiter Catechismo Romano, Parte 2. de Pœnit. Sacram. n. 58. Postquam enim dixit suscipienda esse opera, quæ naturā

A 61

suā

suâ moleſtiam & dolorem afferunt, ſubjungit: *Quamquam non ſemper illud conſequitur, ut, qui ſe in illis moleſtis actionibus exercent, doloris ſenſum habeant. Sæpè enim vel patiendi conſuetudo, vel accenſa in Deum charitas efficit, ut, qua perpèſſu graviffima ſunt, ne ſentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quò minus ipſa opera ſatisfaciendi vim habeant. Siquidem hoc proprium eſt Filiorum Dei, ita ejus amore & pietate inſtammari, ut acerbiffimis laboribus cruciati, aut nihil ferè incommodi ſentiant, aut omnia lætiffimo animo perferant.*

Si quis autem quærat, cur, ſi omne opus bonum in hac vitâ ſit ſatisfactorium, tantùm enumerentur tria opera ſatisfactoria, ſcilicet Oratio, Eleemoſyna, & Jejunium? R. cum Dicaſtillo de Pœnitentiâ diſp. 13. n. 60. & aliis, vulgari & trito reſponſo, ad hæc tria cætera omnia revocari; ut docet S. Thomas 3. p. in Supplemento q. 15. art. 3. Legatur Bellarminus l. 4. De Pœnit. c. 6.

VII, Opera noſtra bona facta in
gra-

S. 1. De nom. naturâ, &c. Jubilei. 15
gratiâ, acceptantur de facto à Deo in
ordine ad satisfaciendum pro pœna
temporali, propter passionem & me-
rita Christi, qui nobis meruit quòd
opera nostra acceptarentur pro pœnâ
peccatis nostris debitâ, cum possent
non acceptari. Lugo de Pœnit. disp. 8.
n. 51.

Colligitur ex Tridentino Sess. 14.
cap. 8. sic loquente: *Neque verò ita no-
stra est satisfactio hæc, quam pro peccatis
nostris exolvimus, ut non sit per JESUM
CHRISTUM... in quo vivimus, in
quo meremur, in quo satisfacimus, fa-
cientes fructus dignos pœnitentiæ; qui ex
illo vim habent, ab illo offeruntur Patri,
& per illum acceptantur à Patre. Vide
& cap. 9.*

VIII. Valor meritorum puri homi-
nis justis est proprius operantis, sic ut
non sit applicabilis alteri. Est enim
meritum velut semen præmii, ac pro-
inde illud aliquo modo continet,
fructificatque ipsi seminantis; juxta il-
lud Ps. 125. *Qui seminant in lacrymis, in
exultatione metent.* & 2. Cor. 9. *Qui*

parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet; & rursus: Quæ seminaverit homo, hæc & metet... Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Galat. 6. Unde est illud I. Cor. 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. & Ps. 61. Tu reddes unicuique secundum opera sua.

Valor autem satisfactionum potest applicari etiam alteri. Uterque valor, scilicet meritorum & satisfactionum, crescit ex dignitate operantis, & præstantiâ operis. Neuter de altero quidquam detrahit. Potest etiam uterque consistere cum valore impetrationis. Et patet in Oratione: hæc enim triplicem fructum habet, meritum, satisfactionem, & impetrationem; qui quidem ultimus proprius est orationis. Cùm ergo meritum & satisfactio, fructus sint cujuslibet operis fructuosi, ut antè dictum est; utique & vera oratio, quæ inter opera virtuosa enumeratur, meritum & satisfactionem habet. Castropalao tr. 7. qui est
de

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilæi. 15
de Oratone, disp. 1. pu. 7. n. 4. Et hoc
docet & explicat Bellarminus de In-
dulg. l. 1. c. 2. Suarez ro. 2. de Religione,
l. 1. c. 22. n. 7. quic. 27. n. 12. fins, ad-
dit: Satisfactio nostra pre aliis, præsertim
viatoribus, infallibilis est. Cur ergo non
erit impetratio? cum in Scripturâ ex-
pressius sint monitiones & promissiones de
istâ, quàm de aliâ; & nulla peculiaris ra-
tio obstare videatur.

Et Card. de Lugo de Pœnit. disp. 24.
n. 20. putat, verosimilius posse homi-
nem justum per bona opera sua impo-
trare sibi aut aliis liberationem à pœ-
nâ temporali; cum Cajetano, Navar-
ro, & aliis docentibus posse nos ali-
quando sine satisfactione impetrare
precibus remissionem pœnæ alicui
defuncto. Vide eundem disp. 26. quæ
est de suffragiis, Sect. 1. Castropalao tr.
24. pu. 1. §. 2. n. 10. Et Lessius. Opere
posthumo in 3. p. addit. S. Thome, q. 15.
art. 1. n. 2. ait, nos satisfacere et-
iam impetrando remissionem pœ-
næ, sicut impetramus alia bona. Un-
de infert, fructum impetrationis
posse

posse alteri applicari, retento fructu qui est ex merito: quia, inquit, non ideò sum minùs dignus conditione pœnæ, quòd pro altero opus satisfactorium præstem.

IX. Christus non solùm sibi meruit, sed etiam aliis, sed omnibus hominibus: Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis: & pro omnibus mortuus est. 2. Cor. 5. qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. Sibi quidem meruit gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam: sicut est ascensio, veneratio, & alia hujusmodi; ait S. Th. 3. p. 2. q. 19. a. 3.

Aliis autem meruit: quia, ut dicit idem Doctor a. 4. in Christo non solùm fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in Capite totius Ecclesie: cui omnes uniuntur, sicut capiti membra; ex quibus constituitur mysticè una persona. Et exinde est, quòd meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra ejus: sicut etiam in uno homine, actio

S. 1. De nom. naturâ, &c. Jubilai. 17
capitis, aliququaliter pertinet ad omnia
membra ejus: quia non solum sibi sentit,
sed omnibus membris.

Ubi benè advertit Cajetanus, quòd
privilegium Christi est mereri aliis ex con-
digno: ita quòd sicut solus est Caput Ec-
clesiæ, ita solus potest mereri ex condigno
pro aliis: Sanctorum autem merita aliis
prodesse possunt ex congruo (seu per mo-
dum impetrationis, quæ interdum
confunditur cum merito de congruo,
ut habes apud Platelium p. 2. n. 658. &
660.) conformiter Angelico Docto-
ri, ad 3. dicenti: Non oportet quòd alii
homines possint aliis mereri, sicut Christus:
quippe cujus meritum habet efficaciam
infinitam. Supplem. q. 13. a. 2.

X. Et quidem meritum Christi,
quantum ad sufficientiam se extendit ad
omnes, non autem quoad efficaciam. S.
Th. De Veritate, q. 29. a. 7. ad 4. de
quo legendus Suarez to. 1. in 3. p. disp.
41. Sect. 1. & 2. ubi postquam osten-
dit ex Scripturis, Conciliis, Patribus,
Christum omnibus omninò homini-
bus meruisse sufficienter, seu quoad
suffi-

sufficienciam, universa ad salutem nostram pertinentia; efficaciter autem seu quoad efficaciam, aliquibus suorum meritorum applicationem, seu, ut sua merita in illis haberent effectum gratiæ: *Sect. 3. §. ex quibus*, infert meruisse nobis Christum remissionem pœnæ temporalis, etiam quæ nobis datur per satisfactiones nostras. Videri etiam potest Platelius, p. 4. c. 7. §. 2. & 3.

XI. Meruit porrò Christus à primo instanti Conceptionis suæ continuè & sine intermissione usque ad instans mortis, *Mortis autem Crucis*; ex communi Theologorum sententiâ apud Suarez to. 1. in 3. p. disp. 39. *Sect. 3.* atque ad eò & satisfecit, non pro se, quippe qui peccatum non fecit, 1. Petri 2. nec facere potuit: sed is qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (id est, hostia pro peccatis) factus est: 2. Cor. 5. propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi. 1. Joan. 2. Dedit enim redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. Tim. 2.

Voluit tamen ob justissimas causas, ne nobis applicaretur valor infinitus suorum meritorum & satisfactionum, nisi per Sacramenta, Indulgentias, &c. & quidem, nisi in tali & tali mensura ab ipso designata. Voluit etiam ut nos mereremur & satisfaceremus per gratiam ab ipso nobis communicatam. Lugo, de Pœnit. disp. 8. n. 49. ita non habet homo unde gloriatur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est. Trident. Sess. 14. c. 8.

XII. Beatissima Virgo MARIA, originali justitiâ donata, ab ipso primo immaculata Conceptionis suæ (hoc est, ut habet Alexander VII. in suâ Cōstitutione 1661. 8. Decembr. *Creationis animæ suæ, & infusionis in corpus*) instanti ad ultimum vitæ instans meruit, per actus semper magis ac magis perfectos & intensos, augmentû charitatis, gratiæ, & gloriæ; & quidem sine interruptione: ita ut in fine vitæ pervenerit ad summam, & (ut ita dicam) partem immensam gratiæ perfectionem & intensiorem, omnibus omnino

ninò Sanctis sanctior. Quæ omnia eruditè admodum probat ex sanctis Patribus Franciscus Suarez, eximius Deiparæ cultor, & encomiastes eidem gratissimus, *to. 2. in 3. p. disp. 4. & 18.*

Beata Virgo MARIA. (inquit Doctor Angelicus 3. p. q. 27. a. 5. ad 1.) *tantam gratia obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Authori gratia. Nempe* (ut verè scribit sanctus Anselmus Cantuariensium Archiepiscopus, *lib. de Concept. cap. 18.*) *decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi. Virgo illa niteret, cui Deus Pater Filium suum ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei & Virginis Filius. Et Epist. de Concept. MARIÆ, sub finem : Dicitur enim Christus Sanctorum Sanctus, & ipsa Sanctorum Sancta.*

Non igitur eguit Virgo MARIA ullâ satisfactione pro se, cum nullum etiam minimi peccati reatum contraxerit, quemadmodum tenet Ecclesia, *Tridentin. Sess. 6. Can. 23. Quod, rogo, vitium*

virium (eloquitur B. Petrus Damiani Serm. 3. de Nativ. B. V.) in ejus mente vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ, ad instar Cœli, plenitudinis totius Divinitatis meruit esse Sacrarium... Nec mirum, si cunctorum merita transcendit mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum.

Et tamen actus ejus meritorii, fuerunt etiam satisfactorii: è quibus & plurimi maximè pœnales fuerunt; cum plurima, eaque acerbissima passa sit propter Deum, ac præsertim, cum ipsius Animam gladius doloris pertransivit, juxta Simeonis vaticinium, Luc. 2. Unde, sicut appellatur Virgo Virginum, ita & Martyr Martyrum debet appellari; ait Richardus à S. Laurentio, l. 3. de Laudibus B. V.

Nunc ad Thesaurum Indulgentiarum, pro cujus pleniori intellectu, pluscula ista annotavimus, propiùs accedamus.

Ex infinito illo meritorum & satisfactionum Christi Domini valore, immensâque Dei Genitricis, aliorum,

rumque Sanctorum, tum veteris, tum
 novæ Legis, etiam futurorum usque
 ad consummationem sæculi, ab inte-
 gritate morum, vitæ austeritate, in-
 victâ in arduis, in adversis, cruciati-
 bus, dirissimisque mortibus fortitu-
 dine, Deo acceptissimorum, abun-
 dantiâ passionum & satisfactionum,
 quæ ipsis applicatæ non fuerint, ut-
 pote non indigentibus; permanent
 tamen in cognitione & acceptatio-
 ne Dei: Ex illo, inquam, valore &
 abundantia constituitur copiosissi-
 mus ille *Thesaurus*, quem *Indulgentia-
 rum* vocat sancta Mater Ecclesia, quæ
 ab ipso Deo illius dispensatrix con-
 stituta est: ut, quæ per Sacramenta
 potest Filios à culpis absolvere, ita &
 extra Sacramenta à pœnis, jam sibi
 charitate cum aliis conjunctos, possit
 liberare, exhibitâ solutione alienarum
 satisfactionum.

De hoc *Cœlesti* (ita Indulgentias ap-
 pellat Tridentinum *Sess. 21. Decreto de
 Reformat. cap. 9.*) Ecclesia *Thesauro*, gra-
 vitate planè Pontificiâ dixerit Cle-
 mens

mens hujus nominis VI. Extravag. Unigenitus, de Pœnit. & Remission. Unigenitus Dei Filius... pretioso Sanguine nos redemit: quem, in arâ Crucis innocens immolatus... copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse: ita ut, à plantâ pedis usque ad verticem capitis, nulla sanitas inveniretur in ipso... Quantum ergo exinde, ut ne supervacua, inanis, aut superflua, tanta effusionis miserario redderetur, Thesaurum militanti Ecclesia acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus Thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, Dei ansicitia participes sunt effecti. Quem quidem Thesaurum, non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum celi Clavigerum, ejusq; Successores, suos in terris Vicarios, commisit Fidelibus salubriter dispensandū... Ad cujus quidem Thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum, à primo Iusto usque ad ultimum, merita adminiculum prestare noscuntur.

Per Merita autem Sanctorum, intelliguntur satisfactiones, quæ quidem merita condigna sunt; sed non reponuntur.

nuntur in Thesauro sub ratione meriti, seu ad merendum, sed sub ratione satisfactionis, seu ad satisfaciendum. Unde etiam Pontifex utitur verbo *dispensandi*; quod significat distributionem & exhibitionem pretii, dando partem uni, & partem alteri: quod competit satisfactioni. Card. de Lugo, *de Pœnit. disp. 27. n. 40. & seqq.*

Ex illis summi Antistitis pronuntiatis; Constat 1. non posse, salva Fide, negari Thesaurum ex meritis & satisfactionibus Christi, eumque infinitum, atque adeò inexhauribilem. 2. Ad eum Thesaurum accedere etiam satisfactiones superabundantes aliorum Sanctorum.

Non autem ita adjunguntur passionibus & satisfactionibus Sanctorum passionibus & satisfactionibus Christi, quasi hæc per se non sufficiant: sed adjunguntur tamen, quia æquum est ut satisfactiones illæ Sanctorum non sint inanes & sine fructu; præsertim cum hoc sit tum gloriosum Christo, à quo manat omne bonum Sanctorum,

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilei. 25
rum, tum ipsis etiam Sanctis perho-
noricum.

Quare illud certum videtur, inquit
Bellarminus, de Indulg. l. 1. cap. 4. Sa-
tisfactiones Christi, quæ sunt infiniti
pretii, applicari per Indulgentias fi-
nito modo: & ideo aliquid reverà su-
peraddi, cum satisfactiones Sancto-
rum illis adjunguntur; quod rectè an-
notavit Dominicus Soto in 4. dist. 21,
q. 1. art. 2. §. *Secunda verò pars.*

Constat 3. per Indulgentias appli-
cari satisfactiones illas tanquam justas
compensationes pro pœnis, quas de-
bemus Deo. Id quod constat etiam ex
Leone X. in Bullâ editâ anno 1520.
contra errores Lutheri, & in Decre-
tali contra Lutherum, missâ ad Card.
Cajetanum, in Germaniâ Legatum
Apostolicum; quem refert idem Ca-
jetanus in 3. p. 48. a. 5. Et ex B. Pio
V. Constitutione, quæ incipit: *Ex om-
nibus afflictionibus*, datâ 1567. 1. Octo-
bris, postea confirmatâ à Gregorio
XIII. & ab Urbano VIII. in quâ
damnatur hæc propositio 60. è 79.

B

Baianis:

Baianis: *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Et est verisimile, inquit Lugo n. 55. Deum ita disponere Thesauri distributionem, ut in fine mundi omnes satisfactiones Sanctorum superflua, quæ in eo continentur, suum effectum adæquatum habuerint. Cùm enim ratio reponendi eas in Thesauo, & distribuendi per Indulgentias, sit, ne satisfactiones illæ superabundantes maneat sine effectum & remuneratione sibi proportionatâ; congruum videtur Divinæ providentiæ, ut omnes, cùm id facile fieri possit, habeant aliquem effectum, & remunerationem completam, ne maneat, quoad illam saltem partem, sine effectum & remuneratione condignâ. Satisfactiones autem Christi, cùm nunquam habere possint effectum condignum adæquatè,

tè, satis est quòd habeant partialem.
Haftenus de Lugo.

Constat 4. Concessionem Indulgentiæ semper procedere ex Thesauri Ecclesiæ, seu satisfactionum Christi & Sanctorum, dispensatione & applicatione ; ut est communis sententia Theologorum, apud Suarez *te. 4. in 3. p. disp. 31. Sect. 3. n. 3.* colligiturque ex verbis Pontificum, qui hanc Indulgentiæ concessionem appellare solent *Solutionem*, & *Dispensationem Thesauri*. Vide Lugo *n. 48. & seqq.* qui *n. 46.* rectè observat, in antiquâ Lege fuisse quidem Thesaurum ex satisfactionibus superfluis Electorum, ut indicat Clemens VI. suprâ; sed clausum, non datâ ulli homini potestate sperendi & distribuendi illum, prout data est Pontifici in Lege novâ. Et hoc quoque priùs observârat Præpositus, *de Indulg. n. 10. fine.*

Hinc etiam sequitur, Concessionem Indulgentiæ non esse meram absolutionem, aut meram solutionem; sed esse solutionem simul & absolu-

tionem, respectu scilicet vivorum, de quibus hîc: nam respectu defunctorum in Purgatorio existentium, est mera solutio, & fit per modum suffragii, uti loquuntur Pontifices; ut habet & explicat Lugo n. 57. & seqq.

Ratio autem est: Quia quando Indulgentia conceditur vivis, non est mera condonatio pœnæ: cum reverà Pontifex simul de Thesauro, cujus habet claves, exhibeat quantum sufficit ad compensandum pro illâ pœnâ: non est igitur mera absolutio. Sed neque est mera solutio: tum quia Pontifex frequentissimè hanc concessionem vocat *Absolutionem* & *Remissionem*: tum quia homo privatus posset concedere Indulgentias, applicando suas satisfactiones alteri, & solvendo; quod tamen nemo concedit: quia ille quidem solvit, ut Deus absolvat, non tamen ipse absolvit. Tum denique, quia hic actus requirit potestatem in subditos: ergo non est mera solutio: ad hanc enim nulla requiritur jurisdictio.

Re-

Restat igitur, ut Pontifex, tanquam Vicarius Christi, utrumque faciat: & hoc facit, cum Indulgentiam concedit: scilicet, offert pretium, ex Thesauro sibi concredito, pro debitâ pœnâ: & rursus, nomine Dei, cujus Vicarius est, acceptat solutionem illam, & virtute illius liberat debitorem. Bellarminus l. 1. cap. 5. Suarez disp. 49. Sect. 3. & 4. Lugo n. 5. &c.

Unde in Indulgentia intervenit misericordia simul & justitia quædam: misericordia quidem, quatenus debitori conceditur pœna & satisfactio alterius; justitia verò, quatenus pœna solvitur. Hinc sanctus Thomas in 4. dist. 20. dicit, Indulgentiam non esse tam remissionem, quàm commutationem pœnæ, quâ unius pœna mutatur in pœnam alterius. Dicitur ergo Indulgentia, Remissio, Condonatio, Relaxatio, respectu illius cui fit. Toletus l. 6. cap. 28.

Verba Doctoris Angelici, dist. illâ 20. q. 1. a. 3. ad 2. q. Corp. sine, sunt hæc: Nec in hoc fit nimis magnum forum

de misericordiâ Dei, ut quidam dicunt, nec Divina Justitia derogatur: quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna alteri computatur. Dicit autem, nihil de pœna dimitti: non quòd per Indulgentias non fiat verè remissio seu dimissio pœnae temporalis; (hanc enim per Indulgentias fieri, expressè & signatè dicit istâ quæst. & seq. & habetur in Addition. ad 3. p. q. 25. a. 2. & seqq. sapius) sed quia fit per dispensationem & applicationem satisfactionum seu pœnarum Christi & Sanctorum substitutam in locum pœnæ alterius, scilicet ejus cui fit Indulgentia; ut patet ex textibus.

Unde sanctus Doctor ad 2. dicit, quòd iste qui Indulgentias suscipit, non absolvatur simpliciter loquendo, à debito pœnae, sed datur sibi unde debitum solvat. Non ergo sic absolvitur, quin aliunde solvatur quod debet. Nam, faciens Indulgentiam, remittit quidem pœnam, atque ita absolvit: sed præterea solvit pœnam, quam alter debuit, de bonis Ecclesie communibus, ut dicitur Addit. q.

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilei. 31
25. a. 1. ad 3. & sic, inquit Sylvius
Supplem. ibi, Quæst. 2. ad 4. præter ab-
solutionem, etiam intervenit solutio.
Quæ sententia, inquit Joan. Præposi-
tus De Indulg. n. 20. ita videtur certa,
ut absque notâ negari non possit, cum
tota contineatur in Epistolâ Decre-
tali Leonis X. ad Cajetanum, de quâ
suprà.

Plura de Indulgentiis vide apud
Authores citatos & alios, in quibus
P. Georgius Gobat copiosum Tra-
ctatum edidit pluries recusum. Vide
& quæ dicimus P. 3. Sect. 14. De In-
dulgentiâ Jubilæâ.

Q. 3. Quotuplex Jubilæum?

R. Duplex: Universale, quod toti
Ecclesiæ, seu omnibus Christi Fide-
libus conceditur; & Particulare, quod
certo Regno, Provinciæ, Communi-
tati, &c.

Universale est duplex: Alterum
Ordinarium, seu Romanum, quod
Romæ, primùm singulis sæculis, seu
centesimo quoque anno celebraba-
tur; deinde Clemens VI. Extravag.

Unigenitus, decrevit, ut quinquagesimo quoque anno id fieret ; postea Urbanus VI. constituit, ut ob memoriam annorum triginta-trium, quibus Christus Dominus in terris vixit, celebraretur quovis anno tricesimo-tertio; denique, quò plures tanti thesauri participes fierent, Paulus II. anno 1470. Bullâ, *Ineffabilis providentia*, statuit , ut in posterum perageretur anno quolibet vicesimo quinto: atque ita deinceps peractum est.

Porro hic *Annus Jubilæus* dicitur, & *Sanctus*, *Annus remissionis*, *Indulgentiæ*, *veniæ*, *gaudii*, *benedictionis*, *sanctificationis*: & meritò, ut facile ex dictis patet.

Alterum *Jubilæum*, *Extraordinarium* dicitur , quod extra Annum *Sanctum*, pro duabus hebdomadibus concedi solet , post Coronationem Summi Pontificis, ad rectam muneris administrationem, & præcipuè cum Ecclesia gravi aliquâ tribulatione & labore affligitur.

Q. 4. Quàm antiquus mos celebrandi Jubilæi ?

R. Cum Castropalao *tr.* 24. *pu.* 12. §. 1. Ita est antiquus, ut initium illius non agnoscat. Quapropter non improbabiler Navarrus *Notabili* 1. & 7. Henriquez *l.* 7. *de Indulg.* c. 15. n. 6. & alii existimant, à tempore Apostolorum cœpisse.

Hoc certius, Bonifacium VIII. qui floruit anno 1294. non esse primum authorem Jubilæi ; cùm ipsâ Extravaganti, *Antiquorum, De Pœnit. & remission.* quâ statuit Jubilæum centesimo quoque anno celebrandum esse, significet se veteri traditione, & Majorum monumentis testatum confirmare.

Et verò congruum omninò videtur fuisse, ut nascenti etiam Ecclesiæ suæ Jubilæum Christus concedendum provideret, quo thesaurum suarum satisfactionum cum aliis favoribus Populo acquisitionis elargiretur, ad uberiores fructus *in novitate vite* colligendos ; cùm in veteri Lege, quæ

umbra & figura erat Evangelicæ, Populo Israëlitico Annum Jubilæum præcepisset.

Q. 5. Apud quem sit jus concedendi Jubilæi?

R. Apud supremum Pontificem, utpote Patrem & Pastorem universalis Ecclesie, ac Calorum Ianitorem: cui, in personâ Apostolorum Principis, dictum à Domino est Matth. 16. Tibi dabo claves Regni calorum: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Calis: & Joan. 21. Pasce Agnos meos; Pasce Oves meas.

Q. 6. Quomodo interpretanda sint Bullæ jubileæ?

R. 1. Quâ parte continent favorem, interpretandæ sunt latissimè, quatenus patietur verborum proprietates; nisi in particulari casu vel materiâ, communis praxis, vel stylus Curie Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. Sylvester, Angelus, Suarez, Henriquez & alii citati & approbati à Castropalao tr. 24. pu. 4. Gobato tr. de Jubil. cap. 5.

Ratio

Ratio est. Quia ex Regulâ 15. Juris in 6. ab ipsis Pontificibus conditâ & approbatâ: Odiâ restringi, & favores convenit ampliari. Item Cap. *Quantvis*, de *Præbendis*, in 6. admittitur & recipitur Lex Beneficium ff. de *Constit. Principum*, quæ ita habet: Beneficium Imperatoris (adde, & Pontificis) quod à divinâ scilicet ejus Indulgentiâ proficiscitur, quàm amplissimè interpretari debemus.

Et cap. *In his*, de *Privil. In his*, quæ ad Divinum cultum facere dignoscuntur, benigna est interpretatio facienda: quia videlicet Summa est ratio, quæ pro religione facit. L. *sunt persone*, ff. de *Relig. & sumpt. funer.* Concessio autem Jubilæi, ejusque favores faciunt ad Divinum cultum, asserente Concilio Tridentino, Decreto de *Indulgentiis*, *Indulgentiarum usum* Christiano Populo maximè salutarem esse.

R. 2. Bullæ Jubilææ, quâ parte continent odium seu gravamen, strictè interpretandæ sunt, quoad patietur verborum proprietas, nisi latiorẽ

interpretationem persuadeat stylus Curia, praxis recepta, vel omnino peculiaris ratio in particulari materiâ, seu casu.

Ratio est. Quia Bullæ illæ ut sic considerata, vel auferunt gratiam; & tunc strictam interpretationem suadet tum Regula, *Odia &c.* tum 17. in 6. *Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum; Vel inferunt pœnam: & tunc eandem interpretationem persuadeat Regula 49. eodem: In pœnis benignior interpretatio est facienda; Vel denique injungunt operationem: & tunc pro eâdem interpretatione facit Lex 99. ff. De Verb. signific. Quidquid astringenda obligationis est, id nisi palàm verbis exprimatur, omïssum intelligendum est.*

Atque stricta hæc interpretatio verborum, quibus aliqua onerosa ac difficilia exprimuntur, valdè congruit intentioni Pontificum Jubilæa concedentium: cupiunt siquidem, omnes Christianos suavi paternoque modo adducere ad integram cum
Deo

Deo reconciliationem, ut patet ex Bullis. Censendi igitur sunt nolle eos gravare supra quàm verba, quibus utuntur, propriè sonant.

Hinc colliges, quomodo Bullæ, quatenus continent Indulgentiam plenariam, & favores eligendi Confessarium qui absolvat, & vota commutet, intelligendæ sint, scilicet latè: in quantum autem injungunt certa opera exequenda, suspendunt Indulgentias in Anno sancto, excommunicant aliquos, &c. strictè sint intelligendæ.

Atque duabus hisce resolutionibus innituntur plurimæ peculiæ, quas in decursu afferemus.

Q. 7. *An mortuo Pontifice, expiret gratia Jubilei?*

Casus hic contigit anno 1592. multùmque fatigavit ingenia Theologorum; ut dicit P. Paulus Comitolus in *Responsis Moralibus* l. 1. quest. 108. quando mortuus est Innocentius IX. qui vixit in Pontificatu duos dumtaxat menses, quibus nondum exactis

indixerat, pro more Antecessorum, Jubilæum uniuersale: quod quidem in quibusdam Diœcesibus adhuc superstitè Innocentio publicatum fuerat, sed necdum peracta omnia opera; in aliis verò ne quidem publicatum fuerat.

Possèt etiam extendi casus ad Pontificem defunctum intereà dum in aliquâ Diœcesi ob certas rationes diutius esset dilata ejus Jubilæi publicatio. Nunc ad quæstionem.

R. I. Generatim; Non expirat gratia Jubilæi, si causa, ob quam concessum est, persistat post mortem Pontificis, & nihil aliud peculiare obstat. Ita cum Comitolo suprâ, sentit Gobat cap. 46.

Ratio est: Quia Jubilæum est gratia facta. Atqui gratia facta non expirat morte facientis seu concedentis; ut patet ex Cap. *Si super gratia*, De Offic. & potest. Iudicis delegati, tit. 14. in 6. & Regulâ Juris 16. in 6. Decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum.

Et verò manifestum est ex praxi,
alias

alias quasvis Indulgentias, siue personales, siue reales, perseverare post mortem Pontificis, aut alterius concedentis, nisi quid aliud obstat.

Hinc etiam (ut obiter dicam) privilegium datum Ordini Religioso, vel etiam particulari personæ, excipiendi confessiones, absolvendi à reservatis, eligendi Confessarium, non expirat morte concedentis. Quia nempe facultas illa est gratia & beneficium actu concessum.

Unde etiam in praxi videmus, ait P. Arsdék in *Theolog. tripart. p. 3. tr. 2. c. 1. n. 9.* Sacerdotem in Cooperatorem à Parocho assumptum, eo defuncto pergere in administratione officii, quamdiu à novo Parocho non removetur.

R. 2. Si causa principalis (solet autem hæc haberi in Rubricâ seu titulo Bullarum) ob quam Pontifex concessit Jubilæum, non subsistat post illius mortem; ut, si spectavit Pontifex, in eo concedendo, Impetrationem Divinae opis ad rectè gubernandam à
sc

se Ecclesiam; tunc non potest, per se loquendo, post illius mortem illud Jubilæum obtineri. Comitulus suprâ cum præstantibus Theologis, & cum eo Gobat n. 342.

Ratio est: Quia tunc opera quæ erant præscripta, non possunt impleri ad intentionem, quam præfixerat & declararat Pontifex: & *remotâ causâ removetur effectus*, ut ait S. Thomas in 4. dist. 20. a. 5. esto persistant aliæ causæ secundariæ, seu impulsivæ.

Talia autem sunt Jubilæa, quæ concedere solent Pontifices universæ Ecclesiæ initio sui Pontificatûs, ut illud Innocentii IX. & aliorum.

Unde in hoc casu, non censetur gratia facta omninò absolutè, sed cum tacitâ determinatione ad tempus vitæ Pontificis.

Q. 8. Quid censendum de absolutionibus & commutationibus intereâ factis cum ignorantia mortis Pontificis?

R. Existimat Comitulus n. 4. ejusmodi absolutiones & commutationes esse invalidas: at Gobat n. 344.

CEN-

S. 1. De nom. naturâ, &c. Jubilei. 41
censet contrarium posse probabiliter
defendi, ex principio, quod latè o-
stendit & declarat Thomas Sanchez
De Matrim. l. 3. disp. 22. n. 59. nempe
Ecclesiam (id est, summum Pontifi-
cem, aut, Sede vacante, Collegium
Cardinalium) ad evitanda animarum
pericula, consuevisse jurisdictionem
dare etiam iis, qui eam non habent, si
videlicet adsit error publicus cum a-
liquo titulo; juxta dispositionem Ju-
ris Civilis, indicatam *L. Barbarius ff.*
de Offic. Pratoris. id quod etiam docet
Lessius De Justit. l. 2. cap. 29. n. 67. §.
Sextò sequitur, & ipse Gobat *De Sa-*
cram. l. 7. n. 107. cum omnibus ferè
Theologis hujus sæculi, & pluribus
Canonistis. Atqui in casu nostro in-
tervenit error publicus & communis,
ut supponimus, quia ignoratur mors
Pontificis, adeoque putatur vivere;
adestque Confessariis titulus delega-
tionis Pontificiæ. Ergo &c.

*Q. 9. An probabilitas opinionum juvet
ad realem acquisitionem Jubilei?*

*R. 1. Si de Indulgentiâ ipsâ solâ lo-
qui-*

quimur; ad ejus acquisitionem nihil planè facit, secutum fuisse probabilem, aut etiam probabiliorem opinionem, nisi hæc sit à parte rei & coram Deo vera. Bonacina *disp. 6. q. 1. pu. 5. Diana p. 3. tr. 4. R. 153. & p. 5. tr. 12. R. 32. qui tamen p. 10. tr. 11. R. 34. contrariam aliorum sententiam vocat satis probabilem; Gobat tr. 3. De Jubil. n. 332. quem & cum fructu leges tr. seq. de Indulgentiis cap. 38.*

Ratio est: Quia Indulgentia tantum valent, quantum sonant, sive (ut loquitur S. Th. in 4. dist. 20. a. 3.) pronuntiantur, seu, predicantur, hoc est, conformiter menti & voluntati concedentis, expressæ per verba, quibus illas promulgat; sic, ut si ea omnia, quæ concedens intendit & præscribit, fiant juxta ipsius mentem & judicium, infallibiliter operentur, & non aliter, sive nos judicemus, sive non judicemus.

Hinc, quamvis non sit nobis certum & infallibile, quòd conditiones omnes ad acquisitionem Indulgentiæ cujus-

cujuspiam sint impletæ, possumus tamen prudenter existimare esse adeptam, dum nobis non constat evidenter, factum aliquid aut omissum contra aut præter intentionem legitimè (ut supponendum) concedentis. Sed judicium istud nostrum nihil conducit ad ejus consecutionem.

Quare omninò consultum, ut ex probabilibus circa Indulgentiæ acquisitionem, id eligatur & fiat, quod tutius est. Videri etiam potest Dicastillo, qui *tr. 9. disp. 2. n. 214.* probabilius censet eum, qui prætermisit aliquid re ipsa requisitum ad lucrândam Indulgentiam, sed juxta probabilem, vel probabiliorem opinionem credebat id non esse necessarium, lucrari Indulgentiam.

R. 2. Si loquamur de aliis Jubilæi favoribus, ut de absolute à reservatis, de commutatione votorum; certa & solida probabilitas opinionum juvat ad illorum consecutionem.

Ex gr. Est certò & solidè probabile, illum fieri participem Jubilæi, qui partem operum præscriptorū perficit

ficit in peccato mortali, aut, non omnia in unâ & eâdem septimanâ; juxta dicenda postea: Hæc sententia etsi fortè à parte rei sit falsa, ac proinde is, qui ei se accommodat, non consequatur Indulgentiam Jubilæi, seu remissionem pœnæ peccatis suis debitæ, ut præcedenti responsione diximus; tamen, quia solidè probabiliter, adeoque prudenter, putatur consequi, ideò valent absolutiones à reservatis & censuris, commutationesque votorum. Diana suprâ, Gobat n. 333. & tr. 4. De Indulg. n. 712.

Ratio est: Quia, quando est ob rationem vel authoritatem Doctorum verè & solidè probabile, quòd alicui Sacerdoti competat jurisdictio, seu facultas & potestas absolvendi, validè absolvit, esto, illa sententia sit à parte rei falsa, Ecclesiâ videlicet in eo casu tacitè tribuente jurisditionem, ad avertenda alioquin maxima animarum damna. Et ita tenent plerique Doctores, citati & approbati à Cardinale de Lugo De Pœnit. disp. 19.

Sect.

S. I. De nom. naturâ, &c. Jubilæi. 45
Sect. 2. §. 1. Castropalao to. 1. tr. 1.
disp. 2. pu. 5. n. 9. Thomâ Tamburino de Sacram. Pœnit. c. 4. §. 8. n. 3. &
De Casibus reservatis cap. 12. §. 1. n. 7.
Joanne de Cardenas Crisi Theologicâ
ad Propositiones 65. damnatas ab Innocentio XI. dissertat. 2. n. 160. dicente
communissimam illam esse sententiam inter Doctores; & n. 161. certum esse, quòd Ecclesia suppleat jurisdictionem Confessarii, quoties datur opinio verè probabilis de jurisdictione, quæ opinio recepta sit ut verè probabilis, & de cujus probabilitate non dubitetur inter Sapientes.

Probatur autem. Certum est in Jure, quòd *consuetudo dat jurisdictionem.*
Ex cap. *Cùm contingat, De foro competenti*, & ex Glossâ ibi, & ex pluribus aliis Juribus, quæ refert idem Cardenas. Atqui praxis est & consuetudo in totâ Ecclesiâ, quòd Confessarii absolvant ex opinione verè & practicè probabili circa jurisdictionem: quam praxim & consuetudinem affirmant communiter Doctores: inter quos
Suarez

Suarez to. 4. in 3. p. disp. 27. Sect. 5. n. 7. sic ait: *Confirmatur ex universali Ecclesia consuetudine, quæ est sufficiens signum jurisdictionis, ut supra dictum est. Est autem universalis Ecclesia usus, ut Sacerdotes securè utantur hujusmodi jurisdictione (certò probabili) in administratione hujus Sacramenti.*

Tenet etiam sic Raymundus Lumbier, Carmelita, in Universitate Casaraugustanâ Theologiæ Doctor, & Antecessor primarius, Inquisitionis supremæ Qualificator, *Observat. 3. ad Proposit. damnat. ab Innoc. XI. n. 30. & seqq.* dicens & probans, quoties est opinio solidè probabilis, & in praxim adducitur bonâ fide, suppleri ab Ecclesiâ jurisdictionem certò moraliter: & n. 34. ad argumentum contrarium respondet, negando tunc Sacramenti valorem manere dumtaxat dubium: manet enim tunc moraliter certius. Nam licèt opinio certò probabilis secundùm se nequeat Sacramento dare nisi probabilitatem; simul tamen sumpta cum Ecclesiæ

tole-

tolerantiâ , dat certitudinem moralem per ratihabitionem de presenti, ut datur in errore communi. Et quidem est moraliter incredibile, Ecclesiam omiffuram, damno tam generali & transcendentem, & communi coram ejus oculis praxi, recepto, remedium ferre, Doctoribus unâ voce ad aures Ecclesiæ clamantibus: *Supplet, Supplet Ecclesia*; si supplendi intentionem non haberet Ecclesia. Hastenus Lumbier.

SECTIO II.

DE INTENTIONE REQUISITA
AD CONSECUTIONEM JUBILÆI.

QUÆST. I. *An ad lucrandum Jubileum, requiratur intentio illud lucrandi? Idem est de quacumque alia Indulgentiâ.*

RESP. Tutius quidem est, habere intentionem actualem, aut virtua- lem propriè dictam (id est, perseverantem in aliquo effectu, qui procedit vi intentionis priùs habitæ) illud

lucrum

lucrandi; tamen non videtur talis intentio necessariò requiri, sed sufficere habitualis & interpretativa, quam censetur quilibet Christianus habere de suæ salutis remediis, universim volens sibi per sua opera bona tantum prodesse, quantum potest. Ita Layman. l. 5. tr. 7. c. 6. n. 5. Portel Dub. Regular. v. Indulgentia n. 7. dicens, sic se audivisse ex ore proprio quondam à Patre Molinà, Magistro suo; Castropalao tr. 24. pu. 9. n. 8. Josephus Augustinus in suâ Brevi notitiâ, de Indulgentiis n. 16. Card. de Lugo De Pœnit. disp. 27. n. 81. & alii citati & approbati à Diana. p. 5. tr. 12. R. 6. Gobat de Jubil. n. 86. & de Indulg. P. I. c. 14. n. 166.

Ratio est: Quia neque ex naturâ rei, nec in ullâ formâ Jubilæi, aut aliarum Indulgentiarum, requiritur intentio actualis, aut virtualis propriè dicta, illud aut illas lucrandi.

Adde, ex more universali receptum esse, ut moribundis omni sensu destitutis dentur Indulgentiæ; & quòd

S. 2. De intentione requisita. 49

quòd per opera bona , quæ nos ipsi facimus, aut alii nobis applicant, satisfaciamus pro nostris peccatis, esto, non sciamus, nec intendamus actualiter aut virtualiter propriè, nos per illa satisfacere.

Hinc sequitur, innumeros homines lucrari Indulgentias, qui nesciunt seu minimè cogitant esse Indulgentias , dummodò ponant opus seu opera à concedente præscripta. Est tamen optimum consilium, in iis quæ agis, habere intentionem lucrandi quidquid possis, sive per viam Indulgentiæ, sive quocumque alio modo; ut rectè monet Suarez *to. 4. in 3. p. disp. 56. Sect. 1. n. 8.* qui infert, posse Confessarium Indulgentiam concedere constituto in articulo mortis, etiamsi nihil sciat de Indulto quod habet moribundus, neque hic ex oblivione, vel inadvertentiâ , Indulgentiam petat; dummodò Confessarius intendat absolvere etiam à poenâ , quantum potest quocumque titulo.

C

Q. 20

Q. 2. An, & quæ requiratur intentio
exequendi opus præscriptum?

R. 1. Quando Bulla aut Breve pro-
ponit Indulgentiam, præscribendo
operi aliquam intentionem, necessa-
riò debet opus fieri ad præscriptam
intentionem. Patet,

Et quidem intentio ista debet præ-
cedere executionem operis: sufficit
tamen, si habeatur antequam opus
præscriptum finiatur. Gobat n. 77.

R. 2. Probabile quidem est, suffi-
cere intentionem confusam, scilicet,
faciendi opus ad intentionem seu in-
tentiones à Pontifice præscriptas, et-
iamsi de illâ seu illis nihil distinctè &
in particulari sciat aut sciverit, qui
lucrari vult Jubilæum: at probabilius
videtur, illam non sufficere, sed re-
quiri intentionem formalem, actu
sciendo finem seu intentionem Pon-
tificis, aut virtualem, faciendo opus
ad finem quem antè scivit, seu audivit
prælegi. Vide Gobatum de Jubilæo c.
12. & de Indulg. c. 16. id accuratè pro-
bantem.

S. 2. De intentione requisitâ. 51

Q. 3. An omnia opera Jubilæi dirigenda sint ad omnes intentiones præfixas à Pontifice in illius concessione?

R. Recentiores Bullæ & aliæ per multæ non plus videntur exigere, quàm ut oratio offeratur ad intentionem à Papâ expressam, putà, ad obtinendam pacem, &c. aliis autem operibus non præstituant ullam intentionem. Gobat n. 85.

Cæterùm tutius omninò est, etiam alia opera præscripta dirigere ad istam intentionem, ad quam dirigenda est oratio; & efficacius ad obtinendum finem à Pontifice præfixum.

Q. 4. Quid, si intentioni à Pontifice præscriptæ adjungas aliam; reddesne idcirco irritam vel dubiam Indulgentiam?

R. Vidêris facere irritam, aut minimum, dubiam. Quia etiam una oratio pro multis facta, non tantum prodest singulis illorum, quantum si pro singulis seorsim fieret, ut est communis sententia Patris Suarez l. 1. de Orat. c. 27. n. 6. Azorii p. 1. l. 9. c. 33. q. 7. cum S. Thomâ, Scoto, Cajetano, &c.

S E C T I O III.

D E EXECUTIONE OPERUM
PRÆSCRIPTORUM.

Q UÆST. I. *An opera præscripta debeant esse libera?*

Seu, *An ad consequendum Jubilæum, aut aliam Indulgentiam, necesse sit exequi opera præscripta quidem, sed quæ aliunde non sint debita y. g. ex præcepto Ecclesiæ, voto, aut pœnitentiâ?*

RESP. Negativè, cum Corduba, Benzonio, Layman. c. 8. n. 13. Card. de Lugo *disp. 27. n. 110. & aliis passim.* Constat ex praxi, siquidem videmus, jejunia Jubilæorum sæpè celebrari in ipsâ Urbe Româ, & extra Romam, in Quadragesimâ, vel quatuor Temporibus.

Hinc quædam corollaria practica colliges cum Gobato *tr. De Indulgentiis n. 174. & seqq.*

I. Qui ex pœnitentiâ à Confessario Injunctâ, aut ratione suæ Regulæ, vel
voti,

voti, jejunat, communicat, &c. consequitur Jubilæum, seu aliam Indulgentiam exigentem jejunia, communionem, &c.

II. Canonici, qui ex obligatione Chorum frequentant, consequuntur Indulgentias visitantibus Ecclesiam concessas, esto non maneant diutius in templo, quàm exigat eorum obligatio. Idem dic de faciente sacrum ex obligatione.

III. Clerici, dum suas Horas Canonicas legentes, dicunt ex ritu Breviarii, *Pater, Ave, Credo, Te Deum laudamus, Psalmum Miserere, aut De profundis, &c.* non minùs consequuntur Indulgentias, quæ, nomine alicujus Congregationis, seu Confraternitatis, aut ratione Numismatis S. Caroli, Quinque Sanctorum, &c. conceduntur recitantibus unum ex enumeratis, quàm si seorsim, & extra Officium Canonicum, orassent. Et ita de aliis.

Q. 2. *Utrùm omnia opera prescripta debeant perfici in statu gratiæ?*

C 3

Affir-

R. Affirmant Cajetanus in *Opusculi* Petrus de Soto, & alii, teste Bellarmino *De Indulgent. l. 1. c. 13.* qui & illos sequitur, quando opera præscripta sunt ad placandum Deum; cum Deus non placetur per opera mortua. Hæc quidem opinio tutior omninò est, & quantum fieri potest, suadenda, ut ista etiam ratione plus lucretur is qui Indulgentiam consequi cupit.

At S. Antoninus, Paludanus, Corduba q. 21. & alii, apud eundem Bellarminum, dicunt sufficere si ultimum opus perficiatur in gratiâ. Tum quia actualis acquisitio Indulgentiæ provenit ex satisfactione Christi & Sanctorum, Extravag. *Unigenitus, De Penitent. & remission.* non autem ex operantis dignitate, S. Th. in 4. dist. 20. a. 3. Tum quia non est necesse, ut omnia opera præscripta dirigantur ad impetrandum id quod intendit Pontifex, ut dictum est *sect. preced. q. 3.* & licet essent ita dirigenda, per bona de se opera in statu peccati mortalis facta

facta potest aliquid impetrari, ut docet idem S. Th. 2. 2. q. 83. a. 16.

Et hæc secunda sententia est probabilior, quam, præter modò citatos, tenent Navarrus *Notabili* 19. n. 19. & *Notab.* 32. n. 37. & *seqq.* Suarez *disp.* 52. *sect.* 5. n. 8. Coninck *dub.* 7. Filliucius *tr.* 8. n. 156. Layman. *l.* 5. *tr.* 7. c. 6. n. 2. Castropalao *pu.* 9. n. 3. &c.

Sufficit ergo, & necesse est, ultimum opus perfici in gratiâ. Unde consultò faciunt, qui opera præscripta concludunt Confessione. & Communionem.

Non est tamen necesse, ut totum ultimum opus perficiatur in statu gratiæ, si illud habeat continuationem, ut jejunium, oratio, &c. Sed satis est, si ante finem jejunii, orationis, &c. sis in gratiâ. Gobat *tr.* 4. de *Indulg.* n. 153. cum Suarez, Bonacinâ, Dianâ: Josephus Augustinus *Brevi notitiâ*, De *Indulgent.* n. 10. Georg. de Rhodes, de *Pœnit.* q. 5. *sect.* 5. §. 5.

Q. 3. Quid, si opera præscribantur expressè ad placandum Deum, ad impetran-

petrandam hanc aut illam gratiam, &c.
 & præter ultimum, siant cum peccato mor-
 tali?

R. Layman. *cap. 6. n. 4.* rectè cen-
 set non obtinendam Indulgentiam :
 ut, inquit, si ad placandum Deum
 præscribantur jejunia, non lucrabitur
 Indulgentiam, qui in jejuniis se vino
 inebriarit; ideóque magnam seu no-
 tabilem partem injuncti boni operis
 non benè perfecerit; vel, si visitatio
 Ecclesiæ præcipiatur, & cum nullâ
 devotione accedatur. Hactenus Lay-
 man: cui consentit Gobat. *tr. 3. de Ju-
 bil. n. 85.* quia peccatum istud vim im-
 petrandi tollit. Idem etiam docet
 Becanus *De Sacram. c. 28. q. 6.*

Et hæc responsio habet fortiores
 Patronos, eos qui absolute docent o-
 pera præscripta sic debere fieri, ut
 nullâ ex circumstantiâ vitientur; in-
 ter illos sunt Navarrus *de Jobel. Notab.*
19. n. 6. & *Notab. 32. n. 46.* Emm.
 Rodriquez *Sum. p. 1. c. 184. n. 4.* Co-
 ninck *disp. 12. dub. 8.* Patronus itidem
 est Bellarminus *quæst. preced. initio al-*
latus.

Q. 4. Quid, si quis opus expleat ex fine venialiter malo, v. g. ob vanam gloriam?

R. Probabilius adhuc lucrari Indulgentiam. Corduba q. 22. Suarez to. 4. in 3. p. disp. 52. Sect. 6. Filliucius n. 159. Lugo disp. 27. n. 85. Gobat. tr. de Jubil. n. 60. & alii. Ratio est: Quia tale opus manet nihilominus honestum ratione objecti.

Q. 5. An omnia opera praescripta debeant integrè impleri?

R. Affirmativè, cum S. Th. in 4. dist. 20. a. 5. q. 3. quem omnes meritò sequuntur. Et quidem ita integrè, ut si aliqua notabilis pars omittatur, sive ex oblivione, impotentiâ, aut aliâ excusâ, nihil obtineatur de Indulgentiâ. Suarez disp. 52. Sect. 5. n. 3. post alios, & post illum alii. Quia nempe non impletur conditio, scilicet implendi omnia. Quippe Indulgentia non conceditur, divisibiliter pro divisibilitate operis, sed indivisibiliter pro toto opere.

Q. 6. Quid, si ex opere requisito, modicum quid omittatur?

C 5

R. Pro-

R. Probabilius obtineri Indulgentiam, cum Suarez *disp. 75. Sect. 5. n. 4.* Bonacinâ, & aliis, quos sequitur Diana p. 5. *tr. 12. R. 23.* &c. si illud quod omittitur, sit quid leve respectu operis injuncti; ut, si parùm comedas in jejunio: Quia opus tunc ponitur moraliter integrum.

Porro aliqua pars hîc vocatur minima, quæ talis est non tantùm in se & absolutè, sed etiam respectivè ad opus injunctum. Unde quando præscribuntur quinque *Pater & Ave*, non censetur, secundùm Suarez, Joannem Præpositum, & alios, is minimam partem omisisse, qui tantùm quater *Pater & Ave* recitasset. Vid. Dicastillo, *de Pœnit. tr. 9. n. 205. & seqq.*

Q. 7. An, quando ultimum opus factum est in peccato mortali, ideoque non fuit obtenta Indulgentia, ut dictum est *quest. 2.* Indulgentia reviviscat, adeoque sortiatur suum effectum, amoto obice, seu statu peccati mortalis, per confessionem aut contritionem?

R. Existimant reviviscere aliqui, inter

ter quos Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. §. Tertius articulus, Henriquez l. 7. c. 9. n. 3. & hæc sententia (inquit Lessius Opere posthumo in 3. p. de Indulg. c. 6. dub. 2.) non est improbabilis, præsertim si adhuc tempus Indulgentiæ consequendæ daret.

At probabilior & communior negat. Vide Filliucium n. 140. & seqq. Card. de Lugo n. 84. Bassæum to. 2. v. Indulgentia 1. n. 12. Gobat n. 59. qui & n. 330. Judico (inquit planè christianè) hanc doctrinam (nempe de reviviscentiâ Indulgentiæ, remoto obice) satius esse praticare, quàm in casu posito omittere contritionem.

Juverit audire Silvestrum super hac quæstione, v. Indulgentia n. 20. Pium est credere, quòd sit verum reviviscere: quia, ut dicit Glossa in Clement. unic. De Reliquiis. & Venerat. Sanct. hujusmodi concessiones non decet nec expedit anxie interpretari: tum etiam quia verisimile est quòd concedens sic virtualiter concedat: & sic exponeret, si de hoc cogitaret: quia

C 6

veri-

verisimile est quòd intendat, his qui faciunt id pro quo datur Indulgentia, eam valere omni modo quo possibile est. Et ideò nullus quantumcumque in mortali existens, cesset ab Indulgentiâ capiendâ; quia fortè aliquando convertetur, & illam consequetur. Hæc Silvester: quæ notanda sunt pro aliis similibus.

Plura de Operibus, Consecutione Indulgentiæ, & aliis, opportuniùs dicentur sequentibus Partibus, maximè Tertiâ, quæ est de Jubilao frequentiori.

